

esculentus, si itaque habeas semina Hibisci spinificis, H. clypeati, Urenae sinuatae, Sidae capitatae quaeso mittas.

Est mihi e Tuis planta tripedalis, caule triquetro, facie Abutili, foliis subtomentosis, quae etiamnum recusat florere, puto fore Tuam Sidam trisulcam. Annon possent Samyda et Casaeariae Tuae combinari sub eodem genere. Video equidem notas sufficientes pro dignoscendis distincte generibus, sed videtur mihi ex variis propriis notis haec duo genera esse valde affinia, licet numerus ea distinguat.

Cinnae semina copiosissima mitto, sunt haec certissime matura, sed tam parva ut oculos fugiant. Serit se ipsam in Horto, ubi fortior hyems non accedit.

15.

Botanico vere eximio DD. Nic. Jacquinio Botanico
S. R. Imper. Maj. S. Car. Linnaeus

Dum ultimo scripseram oblitus fui a Te erudiri de duabus arbusculis, quae ex tuis seminibus vigent in Caldario, necdum florere. Nequeo has quotidie intueri, nec scire quaenam sint. *prior* foliis alternis scabris est, posterior foliis lineatis, laevibus, pendulis et caule volubili, mitto utriusque folium, quod facile dignoscas inter tuas. Dicas mihi harum solum et terram, ut felicius eas colam. Superbe e Tuis mihi floruit *Cordia Sebestena*, itidem Tuae *Peucedanum Silaus* et *Seseli Hippomarathrum* Riv. quas ante vivas florentes numquam vidi. Singulare profecto est involucellum monophyllum Hippomarathri.

Nulla aestate gavisus tot pulchris, mihiq̄ue raris plantis ac hac ipsa, utinam semina omnes perficerent. *Beaumuria* ostendit florum rudimenta, sed sero procedit. *Hibiscus spinifex* Tuus etiam quotidie promittit flores.

Doceas me oro an *Agave hexapetala* gerat florem supe-